



Hierin fehlte Nr. 8

am 10. 4. 1917.

Suchies.



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO-  
CHIRVRGICA,

DE  
VERA ET DVBIA  
FONTICVLORVM  
EFFICACIA,

QVAM,  
AMPLISSIMO MEDICORVM ORDINE IN PER-ANTIOVA  
HIERANA GRATIOSE INDVLGENTE,  
P R Æ S I D E

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,  
PRÆNOBILI, CONSVLTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO VIRO,  
DN. D. HERMAN. PAVLO IVCH,

SACRI PALATII CAESAREI COMITE, FACVLTATIS MEDICAE SENIORE, PA-  
THOL. ATQVE PRAX. PROF. PVBL. ET ASSESSORE PRIMARIO, SERENISS.  
SAX. DVC. VINARIENSIS, ISENACENSIS ET GOTHANI CONSIL.  
AVLICO ET ARCHIATRO, N. N. ACAD. CAESAR.  
NAT. CVRIOS. COLLEGA,

PATRONO AC PROMOTORE SVO COLENDISSIMO,  
PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMSQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS  
ATQVE IMMVNITATIBVS  
RITE ET SOLEMNITER ADIPISCENDIS,  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET  
AVCTOR ET RESPONDENS,  
ERNESTVS RISCHMÜLLERVS,

*Thedinghusa-Brunsvicensis.*

DIE IV. JVNII M DCC XXXVI.  
IN AVDTORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.  
ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.



DISSERTATIO IN ANATOMIA MEDICA  
CHIRURGICA

DE

VERA ET DURIA  
FONTICULARUM  
RHEUMATICA

AD PRIMUM ORDINEM IN PER ANATOMIA  
MIRIAM GRADU IMPROBANTE  
M. D. C. C. C. C. C.

RECTORI UNIVERSITATIS MARCHICAE  
D. D. HERMAN. BAVOIVICH

SACRATAE IN CANTABRIGIAE FACULTATIS MEDICAE SENIOR  
THOMAS ADAMSONUS, M. D. C. C. C. C. C.  
SAX. DUC. VOMITIAE, PERICLITUS DOTTORI CONSILI  
P. AVICENAE, M. D. C. C. C. C. C.  
M. D. C. C. C. C. C.

PATRONE AC PATRONO M. D. C. C. C. C. C.  
PRO GRADU DOCTORIS  
SVMISSE IN ARTE SVA VITALI RHEUMATICA  
ADVE IMMUNITATE  
RITE ET SOLEMNITER ADMITTENDIS  
PUBLICO APTIDITATE EXAMINI PERMITTIT  
AVCTOR ET RESPONDENS

ERNESTVS RISHMULLERVS

1744

IN APTIDITATE MAIORI COLLEGI MAIORI, HORI CONSULTE  
DIE IV. JUNII M. DC. C. C. C. C.  
ERNESTVS, TYPE HERINGII, AUNG. TYPOG.







DISSERTATIONIS INAUGVRALIS MEDICO-  
CHIRVRGICÆ,

DE

VERA ET DVBIA

FONTICVLORVM

EFFICACIA,

PROÆMIVM.

**Q**Vod ad morbos tam præservandos,  
quam curandos, utpote qui primarius  
totius Medicinæ omniumque Medico-  
rum finis est, ab antiquissimis jam jam tempo-  
ribus tria potissimum auxiliorum genera, ex  
Diæta nimirum, Pharmacia & Chirurgia, tan-  
quam tribus illis inseparabilibus Medicinæ ad-  
ministrandis, desumpta, in usum vocata & adhuc-  
dum vocanda sint, ratio pariter ac experientia

A 2

do.



docuerunt: Cum enim & medicamentorum  
 & alimentorum ope non semper intentio ista  
 salutaris perfecte assequi possit, quin potius Me-  
 dicus, ut indicationibus propolitis satisfiat, et-  
 iam manuum opera indigeat, atque Chirurgi-  
 cæ operationes sæpius auxiliorum loco sint, pa-  
 tet sane hinc, quantum & ab hac Medicinæ  
 parte expectandum sit emolumenti, si nimi-  
 rum convenienti tempore modoque in usum  
 vocetur, ipseque Medicus probe insimul ean-  
 dem calleat. Sunt autem operationum ista-  
 rum, quæ per manum ac instrumenta chirur-  
 gica, sanitatis recuperandæ gratia, in corpore  
 humano fiunt, quinque potissimum genera,  
<sup>crūdioris</sup> nempe, quæ separata conjungit, coaptan-  
 do ossa diffracta, reponendo luxata, consoli-  
 dando vulnera ac ulcera, partesque è sede sua  
 prolapsas eidem restituendo; <sup>diaphoræ</sup> quæ di-  
 storta, incurvata, nimium coarctata & compres-  
 sa ossa corrigit; <sup>diastoræ</sup> quæ partes corporis  
 tam secundum, quam præter naturam conjun-  
 ctas & continuas, pro diversa circumstantia-  
 rum ratione, medentisque intentione, divi-  
 dit, secando potissimum & urendo; tandem-  
 que



que <sup>et alpeis</sup> quæ partim superflua removet, ex-  
 stirpat & eximit, sive ea ab extra in corpus  
 immissa, sive in eodem secundum naturam  
 quidem genita, aut præter naturæ modum re-  
 tenta, aut etiam præternaturali plane ratione  
 producta fuerint; partim quoque amissas par-  
 tes restituit, quam propterea peculiari titulo  
*Chirurgiam curtorum* vocare solemus. Inter-  
 rim, licet omnium ac singularum harum ope-  
 rationum absoluta interdum sit necessitas, nec  
 minor etiam utilitas, tertia tamen earum clas-  
 sis, nempe <sup>diapheis</sup> medico imprimis usui quam  
 maxime favet, curandisque & præservandis et-  
 iam internis morbis sæpius inservit, in quan-  
 tum nempe Venæ sectione & Scarificatione  
 noxia atque superflua sanguinis quantitas im-  
 minuitur & corpori detrahatur, Vesicatoriis au-  
 tem, Setaceis & speciatim *Fonticulis*, deprava-  
 ta ejus qualitas quadantenus corrigitur, ac præ-  
 primis particularis quædam sensibilis revulsio  
 humorum, ad loca insueta & incongrua con-  
 gestorum, obtinetur, si modo congrua etiam  
 interna remedia, ad eundem scopum colli-  
 mantia, simul conjunguntur, hisque solis uni-



versum tale negotium non committitur, prout  
 sæpius à talium operationum Patronis fieri ad-  
 solet, qui easdem indiscretim, maxime autem  
*Fonticulos*, in morbis chronicis, à graviore qua-  
 dam humorum dyscrasia oriundis, ad sidera  
 usque extollunt, vix tamen ubique speratum  
 faustumque effectum tali ratione producant.  
 Ut ergo, quantum proprie emolumenti inde  
 polliceri liceat, tandemque, conjunctâ conve-  
 nienti methodo, obtineri queat, paulò exactius  
 nobis innotescat, placuit in præsentis Specimine  
 inaugurali, pro virium mearum modulo, Lecto-  
 ri benevolo *veram pariter ac dubiam Fonticu-  
 lorum efficaciam* demonstrare ac explicare, cui  
 conatui ut Summus Archiater, Deus T. O. M.  
 clementissime adnuat, laboresque hos eo di-  
 rigat, ut in Divinæ suæ Majestatis gloriam at-  
 que ægrotantium salutem cedant felicissime,  
 humillimis supplicibusque oro ac obtestor  
 precibus.



## §. I.

**Q**uid proprie *Fonticuli* nomine apud Medicos veniat, & unde vocabulum istud originem suam habeat, vix opus erit, ut fusius explicemus, quoniam cuilibet fere notissima sunt ea omnia, inprimis vero quod diminutivum hoc à primitivo illo notissimo, *fons*, derivatum sit, ob specialem quandam analogiam, dum nempe hoc auxilii genus fontium scaturigines imitari videtur, atque humoribus excrementitiis, qui quotidie in corpore nostro generantur, vias satis commodas & patentis per totam vitam aperit ac largitur. Quoniam vero Italici, eandem ob rationem, *Fontanelle* nomen iis imponere placuit, atque hoc pariter, ac illud Latinorum, in vario ambiguo significato accipitur, paucis saltem, ratione *Homonymie*, monendum esse duximus, quod ab Anatomicis *Fontanella* vocabulum in alieno prorsus sensu sumatur, dum nempe in infantibus locum illum in bregmate, quem alii *foveam*, vel *triangularem lacunam*, vel *fontem pulsantem* adpellare siveverunt, eodem insignire ipsis placuit; nec non, quod Latini *Fonticuli* denominationem modo in *latiori sensu* cuiuscunque ulceri, ad humorum excrementitiorum evacuationem sive à Natura, sive arte chirurgica facta; modo *strictius*, ulceri cuidam à causa comburente, sive cauterio, arte chirurgica facta & postmodum iterum consolidato, ad humorem aliquem successively evacuandum; modo denique *strictissime*, qui & noster sensus heic loci est,



est, ulcusculo cuidam cavo, in extima corporis parte arte facta atque â re quadam apta in tali apertione contento, ad humores excrementitios, intra corpus nostrum collectos, sensim, simul tamen continuo eliminandos, tribuant. Quoad *Synonymiam* vero, præter id, quod *Fonticulus*, referente ANDERNACO *de vet. & nova Medic. Comm. 2. Dial. 8.* plurimis ex Veteribus *Cauterium* audiat, ab aliis vero *Emissarium*, apud BONNETVM *Ruptorium*, â BLASIO *Med. univers. p. 44. Setaceum*, â Romanis *expulsio*, seu *dimissio Medici*, & â Germanis nostris, Italos imitantibus, ein *Fontanell* dicitur, nihil profus monendum habemus.

## §. II.

Sunt ergo FONTICVLI *ulcuscula parva rotunda, arte Chirurgica in sana quadam corporis nostri parte, sive actuali, sive potenciali cauterio inducta, ad vitiosos humores per ea evacuandos, revellendos & derivandos, atque ita morbos alias ab iis pertimescendos, præsertim chronicos, vel præcavendos, vel curandos.* Patet autem exinde statim, quod hi ipsi *artificiales Fonticuli* merito distinguendi sint ab ita dictis *naturalibus*, seu sponte â Natura ipsa excitatis *ulcusculis*, qualia in senibus pariter, ac aliis *cacochymicis* subjectis haut rarò occurrunt, nec ullam facile consolidationem admittunt, sed potius verorum *Fonticulorum* ad instar absolute aperta conservari debent, cujusmodi exempla apud ZACVTVM *Lustanum, Histor. Med. Princ. Lib. I. Observ. 8.* TVLPIVM *Lib. I. Observ. 8. p. 16.* & in *A. N. C. Dec. I. Ann. II. Observ. 257.* occurrunt. Sic etiam *Setacea & Vesicatoria*, licet eundem habeant finem cum *Fonticulis*, ab his tamen quoad formam & exci-



excitandi modum differunt, dum illa fonticulis majora, & figuræ oblongæ sunt, simulque duplici foramine constant, ac mediante filo setaceo aperta tenentur; hæc vero ulcuscula saltem plana & superficialia, vix ultra cutem penetrantia exhibent, paucorumque dierum intervallo communiter iterum consolidari solent.

§. III.

Subjectum principale, seu partes illas & loca quod attinet, in quibus Fonticuli proprie excitari possunt & debent, veteres equidem Medici indiscretim omnibus partibus mandantibus, ne ipsa quidem regione ventriculi, hepatis & uteri excepta, illos inurere sueverunt, prout hoc ex AVICENNÆ *Lib. III. Fen. 1. tract. 1. cap. 33.* & RHASIS *Lib. VIII. rei med. cap. 1. liquet*; ob varia autem exinde plerumque resultantia incommoda, imo quandoque pericula, moderni Medici non nisi in certis quibusdam partibus fonticulos parare jubent, & quidem sub specialioribus hisce conditionibus, ut in spatio intra duos musculos intermedio, minime vero horum parte carnosa, aut tendinosa, excitentur, ne totius membri motus abinde lædatur; ut prope ramificationes majorum venarum, non vero super ipsos ejusmodi canales, ob pertimescendas graviore hæmorrhagias, nec non talibus in regionibus inducantur, ubi ligatura necessaria sine motus impedimento firma conservari, ac insimul ulcuscula talia conspici & debite mundificari possunt.

§. IV.

Exinde statim nunc adparet, quod commodissima & securissima talia loca imprimis præbeant artus, seu

B

ex-



extremities corporis, quippe in quibus omnes illæ modo recensitæ conditiones facillime observari possunt, unde etiam ibidem frequentius, nostris præcipue in oris, fonticuli excitari solent, quam in capite, in cuius tamen antica regione, seu sincipite, inprimis ubi futura coronalis cum sagittali combinatur, Ita i pariter ac Belgæ creberrime artificialia ejusmodi ulcricula provocare jubent, & quidem sub gravioribus & chronicis Cephalalgis, Ophthalmis, Catarrhis, Vertigine, Gutta serena, defectu memoriæ, insultibus apoplecticis & epilepticis, aliisque capitis morbis, quos, juxta complurium fide dignorum Auctorum observationem & experientiam, eximie mitigant leniuntque; quapropter etiam hanc ipsam in illo loco institutam operationem, ab aliis pro inutili & supervacanea, aut prorsus periculosa reputatam, minime in totum rejiciendam esse prudentissime inculcat Excellentiss. HEISTERVS, Præceptor meus nunquam sine honoris præfatione appellandus, *Chirurgiæ suæ Parte II. Sect. II. Cap. 38.* ubi etiam insimul, quomodo genuinus locus indagandus ipsaque operatio dein instituenda sit, exactissime demonstrat. Conf. quoque BARTHOLINI *Syntagma de Caute-riis, Cap. 8.* GLANDORPII *Gazophyl. fonticul. cap. 11.* SCYLLETII *Armatum. Chirurg. Tab. XXVI.* & DECKERI *Exercitat. p. 110.* De postica regione capitis, seu occipite, notum itidem est, quod raro ibidem fonticuli excitentur, cum tamen certum sit, quod, si locus ad gestationem aptior esset, in multis, speciatim vero inveteratis capitis affectibus, plus adhuc emolumenti abinde expectandum sit, quam à secacis, quæ



quæ è contra in collo (ubi antiquitus etiam fonticuli provocabantur, licet non semper felici cum effectu, quoniam vertebrarum apophyses facile læduntur,) eximie utilitatis esse observantur.

## §. V.

Si in *brachio* excitandi sunt fonticuli, communissime extremitas musculi deltoidis, aut interstitium inter hunc & bicipitem musculam seligitur, quod, flectendo & extendendo cubitum, facile ope digiti indicis explorari potest: Ibi enim motus non impeditur & ulcusculum insimul commode deligari, conspici ac mundificari potest. In *pedibus* equidem nonnulli suadent ut supra, alii ut infra genu provocentur, qui ultimus tamen locus & ob commoditatem, & ob utilitatem prioris præferendus est, & quidem quatuor digitis transversalibus infra genu, circa corpus musculi gastrocnemii, seu primi pedem extendentis, ubi cum osse tibiæ connectitur; in viris autem equitationi deditis commodius inter musculum peronæum primum, seu pedem flectentem secundum & tibiæum anticum, seu pedem extendentem secundum, excitari possunt.

## §. VI.

Fiunt autem Fonticuli triplici communiter modo, nempe vel *secando*, vel *urendo*, vel *corrodendo*: Priorem horum Excellentiss. HEISTERVS l. c. Part. II. cap. 19. brevissimum & celerrimum vocat, ubi nempe forcipe, vel digitis, cutis loci fonticulo destinati & atramento prius notati, apprehenditur & arte comprimitur, atque scalpello, vel cultro incisorio eo usque discinditur, ut commode pisum dein vulnuscule huic imponi queat, quod dum more consueto deligatur, ac quotidie ma-



tutinis & vespertinis horis pisum novum imponitur,  
 paucorum dierum intervallo in tale ulcusculum dege-  
 nerare solet. Si urendo, seu actuali cauterio, excitari de-  
 bet fonticulus, tunc locus conveniens itidem atramen-  
 to prius notatur, dein Cauterium, pro hoc scopo adapta-  
 tum optimequē prius ignitum, ac dehinc in peculiari  
 vasculo, seu pyxide, absconditum, cita & experta manu  
 ad sufficientiam imprimitur, lenius nempe in ætate te-  
 nera, corpore molli, & in brachio; paulo fortius autem  
 in adultis, corpore robustiore & in cruribus. Remoto  
 postmodum instrumento, eschara adparet, quæ Unguen-  
 to digestivo, Basilicon. aut Butyro recenti non salito suc-  
 cessive separatur, ac dein eodem, uti jam descripsimus,  
 modo, vulnusculum deligando, fonticulus producitur. Et  
 hanc methodum præfatus Excellentiss. HEISTERVS Lc.  
 non immerito pro utilissima & efficacissima reputan-  
 dam esse censet, quoniam actuali ejusmodi cauterio  
 plures majoresque dolores excitantur, sicque efficacior  
 revulsio impetratur, unde etiam Itali eandem reliquis  
 præferunt, plurimi autem nostrorum ægrotantium, ex  
 nimio dolorum metu, reformidant, & ultimam, quæ  
 mediante potenciali cauterio fit, præ illa potius seligunt.  
 Imponitur nempe tunc, præmissis prius medicamento  
 purgante, loco convenienti, itidem antea signato, pi-  
 lisque, si qui adsunt, denudato, Emplastrum aliquod  
 defensivum tenaciter adhærens, e. g. diapalm. diachyl.  
 simpl. de sperm. ran. &c. foramen minus pisiforme in  
 medio habens, per quod locus signatus transparere de-  
 bet; huic foramini dein Lapis quidam causticus, aut  
 Lapis infernalis, aut quodcumque aliud causticum levi-  
 ter



ter humectatum, immittitur, atque alio Emplastro iterum tegitur, ut firmiter parti adhæreat, sic intra 6. vel 8. horarum spatium, pro diversa cutis crassitie & caustici celeriori vel tardiori operatione, adparebit crusta, quæ eodem, ut ante diximus, modo separanda, postmodumque ibidem foniculus excitandus est.

§. VII.

His ergo nunc quoad modum formandi & excitandi foniculos debite præmissis, præliis nunc scopum nostrum prosequimur, demonstraturi nempe & enarraturi morbos istos, in quibus certum sibi, vel etiam exiguum aut nullum, adeoque dubium, à foniculorum formatione Medicus polliceri potest effectum: De diversis enim accidentibus, quæ ulcusculis hisce alias adhuc supervenire, eaque plus vel minus offendere possunt, non opus erit quædam adducere, cum partim nostri id non sit instituti, partim etiam prudens & peritus artifex iisdem facile obviam ire sciat. Ante omnia autem probe notandum & observandum esse ducimus, quod, licet diversis respectibus foniculorum excitationem suadere soleant Practici, revellendi nempe, avertendi, derivandi aut intercipiendi sine, singulæ tamen hæ intentiones vix unquam alia ratione, quam evacuatione materiæ alicujus peccantis, per tale ulcusculum prodeuntis, obtineri queant, quæ ipsa, cum non nisi paulatina sit, & successive saltem fiat, eo ipso cuilibet statim demonstrat, quod plus utique emolumenti à foniculorum gestatione expectandum sit in *chronicis*, quam in *acutis* morbis, utpote in quibus promptæ, tempestivæ & acceleratæ evacuationes plus sane proficiunt,



quam tardiores & lentæ, genio chronicorum magis accommodatæ iisque idcirco etiam potissimum proficuæ, inprimis ubi particularis quædam, refractaria, nociva, ad & per locum inconstitutum & incongruum declinans congestio & excretio occurrit, quæ per particularem talem, sensibilem riteque succedentem revulsionem, si non solitarie & plenarie tollitur, ad minimum secundo efficaciter satis mitigatur, conjuncta tamen insimul convenienti curatione primaria.

## §. VIII.

Quod igitur *capitis affectus* attinet, ad quos tam curandos, quam præservandos, insimul in usum vocari possunt fonticuli, hos inter primum locum merito occupant *catarrhales*, à congestionibus pertinacioribus seroso-mucidis, impuritatibus istarum excretionem qualemcunque vel intendentibus, vel obtinentibus, originem suam ducentes, videlicet *Ophthalmia humida*, *Lippitudo oculorum*, *Nyctalopia*, *visus hebetudo*, & *principia Cataractæ*, maxime post male curatas Variolas provenientia; item *aurium tinnitus*, *susurrus* & *gravitas auditus*, ipsaque *Odontalgia*, in subjectis scorbuticis potissimum occurrens & cum *dentium carie* complicata, utpote in quibus singulis inprimis decubitus humoris serosi acrioris, aut etiam mucosi, accusandus venit, qui propterea, cum sæpius habitualis reddatur & in consuetudinem transeat, nec etiam institutis universalibus excretionibus facile tolli queat, merito particularem ejusmodi evacuationem per fonticulos, sive in *incipite*, circa suturæ coronalis cum sagittali concursum, sive etiam, quod frequentius fieri adsolet, in *brachio*, vel  
unico,



unico, vel, pro affectus gravitate & vehementia, utroque excitatos, requirit, iisque facilius cedit, prout hoc exempla à *Sim. SCHVLTZIO Ephem. N. C. Dec. I. Ann. III. Obs. 156.* allegata, abunde confirmant.

## §. IX.

Eodem ex fundamento non minorem quoque utilitatem ab iisdem sperare licet in *affectibus vertiginosis*, simili ex causa inductis, maxime autem *Vertigine caduca*, Apoplexiam ferosam præcurrente, quippe ad quam, & forsitan quoque sanguineam, nisi admodum plethorica fuerint subjecta, multum utique conferre potest tempestiva fonticulorum, speciatim in brachiis aut pedibus, facta excitatio, prout hoc per experientiam confirmant *VICTOR. FAVENTINVS in Med. Empir. NYMANNVS de Apoplexia cap. 46. p. 308.* & supra allegatus *SCHVLTZIVS l. c.* ob revulsionem nimirum & derivationem congestionum impetuosius versus caput directarum. Magni porro aestimant fonticulos in supra dicta capitis regione formatos, ad mitigandam & præcavendam *Epilepsiam*, *Dionys. FONTANONVS Lib. I. cap. 15. de morb. intern. cur.* & *SCHOLZIVS Epist. Med. 117.* quorum sententiæ etiam, in quantum de symptomatica magis, quam idiopathica *Epilepsia*, id ipsum intellectum volunt, lubentes subscribimus, quoniam tali ratione humores acres & fermentativi, qui non raro, genus nervosum nimium irritando & stimulando, hunc affectum excitare solent, per ejusmodi emunctorium removentur et expelluntur. Hinc etiam ulcera capitis manantia, (quorum vices fonticuli sustinere possunt,) si pueris fiant, eos à morbo caduco illorum



rum ope præservari jamdudum observavit HIPPOCRATES *Lib. de morbo sacro*, ipsaque experientia apud TVLPIVM *Lib. I. Obs. 8. p. 16.* in duobus infantibus confirmavit, quorum Epilepsia post sponte oborta manantia capitis ulcera cessabat, his autem improvide aliquando suppressis, ilico recurrebat, nec ulla alia ratione mitigari se patiebatur, quam ubi, remotâ escharâ, pristina ulcerosa excretio restituebatur; sic quoque *Baptista MONTANVS Consil. 50. p. 132.* refert, senem 52. annorum se vidisse, qui solis cauteriis, seu fonticulis, in brachiis excitatis, ab Epilepsia sanatus fuit.

## S. X.

Quid porro in *Mania, Melancholia*, tam *simplici*, quam *hypochondriaca, Paralyssi*, aliisque gravibus capitis affectibus, præservatorie & curatorie præstent & præstiterint Fonticuli, videre licet apud RONDELETIVM *meth. cur. morb. Jul. Cæs. CLAVDIVM, Thom. GROSIUM de morb. capit. p. 104. HORSTIVM Lib. II. Obs. 19. MERCVRIALEM Lib. II. cap. 27. Cælium AVRELIANVM Lib. III. cap. 1. & in supra allegatis Ephem. Nat. Cur. Dec. I. Ann. III. Obs. 156.* ubi in specie Monialis cujusdam mentionem facit prædictus SCHVLTZIVS, quæ bis Paralyssi unius lateris tacta & Epilepsia semel correpta, postquam in utroque brachio Fonticulum sibi applicari passa est, prorsus libera à dictis morbis vixit, suaque iterum officia in Monasterio sine impedimento obiit. Probe autem semper observandum est, quod in modo dictis hisce affectibus, si illi causæ mere sanguineæ originem suam debeant, fonticuli saltem revellendo motus congestorios à capite qualemcunque utilitatem præ-



præstent; sin vero insimul cacochymia quædam scorbutica concurrat, etiam derivando & evacuando heterogeneas istas impuritates, præservative inprimis, proficui esse queant.

§. XI.

Eodem quoque modo haut levem præstant utilitatem in doloribus ischiadicis, maxime si in suris excitati fuerint, præcavendo pariter ac auferendo eosdem, quemadmodum hoc exempla à Ludov. MERCATO Lib. I. de recto præsid. art. med. usu cap. 16. FORESTO Lib. XXIX. observ. 22. p. 823. & SCHULTZIO in Armam. Chirurg. Tab. 55. p. 123. recensita demonstrant, quorsum & illud SCHULTZII in Ephem. N. C. l. c. communicatum, pertinet, de cive quodam Thorunensi, quem ab ejusmodi dolore vehementissimo, per aliquot septimanas durante, unice fonticulorum beneficio liberatum fuisse refert. Conspirat enim malum hocce ischiadicum ut plurimum cum hæmorrhoidibus externis, ejusque dolores & cruciatus ordinarie non nisi in moliminibus, excretionem istam hæmorrhoidalem quidem urgentibus, vix autem nunquam actu eandem procurantibus, consistunt; hinc, si qualicunque tandem ratione in regionibus vicinis aliqua vicaria & artificialis provocatur excretio, Natura hæc ipsâ quasi contenta, interim à prioribus istis arduis & contentiosis moliminibus desistit, sicque dolorum istorum remissio ac plenaria tandem cessatio facile exinde evenit.

§. XII.

Ad mitigandam & præservandam Podagram itidem à compluribus Medicis eximie commendantur  
fonti-

C



fonticuli, ab aliis autem prorsus rejiciuntur, & quidem variis ex rationibus, quas Ludov. MERCATVS *Lib. I. Tract. supra cit. p. 183.* fusius adducit. Nos ad minimum eadem ratione, qua malo ischiadico sæpissime medelam attulerunt, etiam in Podagra aliisque arthriticis adfectibus eosdem proficuos esse reputamus, dummodo, probe monente CAPIVACCIO *Pract. med. Lib. V. Sect. I. p. 866.* tempestive ac statim in initio in usum vocantur, ubi nempe nondum nodosa & inveterata ea est. Hinc sæpe memoratus SCHULTZIUS *l. c.* refert, Episcopum Chelmensem dolores podagricos, à quibus antea sæpe infestabatur, per multos postea annos, ad seram ætatem & mortem usque, fonticulorum ope nullos amplius, aut saltem rarissimos percepisse; & alium vagis arthriticis doloribus divexatum hos semper leviores percepisse, quando fonticuli (quorum unum in brachio, alterum in femore gessit,) plurimo humore scatebant, majores vero, si parum vel nihil ejusdem fundebant.

## §. XIII.

De insigni fonticulorum efficacia ad *Pestem* præservandam copiosa undique in Practicorum Scriptis occurrunt testimonia, experientia multoties jam jam confirmata, ut de eorundem veritate vix amplius dubitare liceat, inprimis cum & ipsi rationi admodum consentaneum sit, quod, si antea continuo humores acres & fermentativi à M. S. absterfi & eliminati fuerunt, utique miasma illud pestilens & contagiosum, etiamsi forsitan intra humorum massam se se inlinuaverit, adeo facilem tamen & favorabilem vix nanciscatur progrediendi atque



que se dispergendi occasionem, quantam alias, præfente majori humorum dyscrasiâ aut plenariâ cacochymia, obtinere possit. Experti jam olim sunt egregium istum effectum varii celeberrimi Practici, tum in se ipsis, tum etiam in aliis. De se ipso enim hoc testatus est SCIPIO MERCURIUS, in *Tr. de gli errori popolari d'Italia, Lib. IV. cap. 21. p. 333.* quod nimirum in Peste Mediolanensi, beneficio fonticuli sui, mortem effugerit; quale quid etiam KIRCHERUS *Tr. de Peste de Medico quodam Romæ, tempore Pestis ad infectos vocato, refert.* Sic quoque de Peste olim Venetiis grassante *Jul. Cæs. CLAUDINUS* testatur, neminem ea correptum fuisse, qui fonticulum gestavit in pede, quale quid etiam de Hafniensi Peste Ao. 1656. observavit BORRICHIVS, atque in BARTHOLINI *Actis Hafniens. Volum. IV. Observ. 48.* communicavit. Plura hujusmodi testimonia atque præconia extant apud *Roder. à FONSECA, Consil. Med. 40.* DIEMERBROCKIVM *Lib. IV. de Peste, Hist. 110.* HILDANVM *Opp. Chirurg. p. 306.* FORESTVM *Lib. VI. Observ. 15.* QUERCETANVM in *Alexicaco Pestis Lib. II. cap. 2.* aliosque.

## §. XIV.

In hysteriis pathematibus & exinde emergentibus gravioribus confectariis, fonticulos, præcipue in femore paratos, efficacissimos esse, testatur SCVLTETVS, *Armament. Chirurg. Part. I. Tab. 56. p. 128.* non solum enim revellendo, derivando & intercipiendo impetuosiore humorum congestiones versus Uterum & viscera cum V. P. connexa, sed & insuper removendo mensium ataxias plerumque concurrentes,



tes, fluxumque hunc restituendo, multum in hoc malo levaminis adferre possunt, quod vel exinde liquet, quoniam etiam insolito prorsus tempore fonticulorum ope interdum menstrua purgatio iterum excitari potest, prout hoc PRÜCKERUS *Ephem. Nat. Cur. Dec. I. Ann. IX. § X. Obs. 9.* de foemina quadam septuaginta sex annorum testatur, quæ post fonticuli in crure dextro excitationem, præter omnem spem & opinionem, sensit menstruaalem fluxionem postliminio redire justamque servare periodum, tanto quidem cum effectu, ut exinde rejuvenescere videretur.

§. XV.

Quantum emolumenti ab artificialibus hisce ulcusculis in qualicunque *humorum dyscrasia*, inprimis autem *Cacoehymia scorbutica*, *venereisque & leprosis affectibus*, *Scabie ferina*, *Gutta serena*, &c. promittendum expectandumve sit, & à priori facile comprehendi, & à posteriori innumeris observationibus confirmari & illustrari potest, quarum tamen fusiore recensione, ob chartæ & temporis angustiam, lubentes supersedemus, Lectorem hujus cupidum ad GLANDORPII *Gazophyl. fonticul.* & DIETERICHII *Favreum Hippocratic. p. 1078.* ablegantes. Facile ergo hinc patet, quod etiam ad *ulcera chronica* atque rebellia feliciter sananda, derivando nempe & avertendo affluxum impuritatium heterogenearum ad loca commodiora minusque periculosa, multum conferre valeant, prout hoc exemplum ab HAGENDORNIO in *A. N. C. Dec. I. Ann. III. Obs. 214.* adductum, confirmat, quemadmodum quoque *Polypum* narium satis grandem, omnibus aliis in-

cas-



caſſum tentatis remediis, tandem fonticulo in brachio excitato adeo feliciter ſe ſuſtuliffe refert PECHLINVS, Dec. I. Ann. IX. & X. A. N. C. *Obſ.* 26. ut, poſtquam ſtillare ſanies cœpit, ſtatim magnitudo ejusdem contrahi & paulatim intercideſe occultarique viſa ſit. Eandem ob rationem ſimilique ex fundamento, GLANDORPIVS non ſolum inſolitum *pruritus* manuum, ſed & *Illustr. b. m. WEDELIVS*, intolerabilem talem in Scroto, cum tenſione, titillatione, & pollutionibus nocturnis complicatum, omnibus aliis remediis nihil proficientibus, tandem fonticulis feliciter mitigarunt, referente CRAVSIO in *Diff. de Fonticulis cap. V.*

§. XVI.

Tandem etiam interdum fonticuli *incommoda ex animi pathematibus grauioribus oriunda* breui quaſi manu tollere ſolent, prout hoc ſpecialiſſima illa BORRICHII *Obſervatio*, de vidua quadam plurium liberorum matre, teſtatur, quæ, quoties trifti nuntio percellabatur, anguſtiis mox peſtoris & laſſitudine afflicta ſibi vix amplius conſtabat, donec fonticuli, quorum in brachio unum geſtabat, in crure alterum, impenſe dolere incipiebant, & intra paucarum horarum ſpatium intumeſcentes plurimum purulenti liquoris evomebant, quo facto illa, oppreſſionis in peſtore & laſſitudinis immemor, ad conſueta munita hilaris progrediebatur. Vid. BARTHOLINI *Ado Hafnienſia, Volum. IV. Obſerv. 48. p. 152.*

§. XVII.

Hæc ergo ſunt, quæ de vera ac genuina Fonticulorum efficacia, ſecundum rationem experienciâ crebriore ſuffultam, adduci potuerunt: Super eſt nunc, ut paucis



quoque illos lustremus affectus, in quibus *dubium, incertum*, imo *serè nullum*, licet pariter in iisdem commendentur, abinde polliceri & sperare licet *effectum*. Primo igitur loco merito hic ponimus matrem plurimorum morborum, ipsam *Plethoram*, inprimis magis urgentem & turgentem, tam quietam, quam organice commotam, quippe quæ, si corrigenda & imminuenda censetur, magis sinceras sanguineas excretiones, per actuales hæmorrhagias, quam tales scrofas & ulcerosas, parum vel nihil abundanti sanguinis quantitati detrahentes, exposcit; simulque etiam facile inflammationibus, in illa potissimum parte, ubi fonticuli excitantur, oborientibus, ansam præbet. Parum ergo proficiunt nimium plethoricis subjectis artificiales & particulares istæ excretiones, sique alias forsitan ob causas in iisdem indicantur, ante ipsarum provocationem semper depletio sufficiens abundantis sanguinis per V. Snem fieri debet, si de effectu quodam saluari obtinendo certi esse desideramus.

*XVIII.* Eandem ob causam communiter etiam subjecta, quæ vel simpliciora *molimina hæmorrhagica*, vel actuales *periodicas*, eoque ipso salutares *hæmorrhagias* experiuntur, parum vel nihil emolumenti à fonticulis promittere sibi possunt, quoniam *molimina* illa non nisi sinceram quandam sanguineam excretionem respiciunt & unice eo collimant, adeoque particulari tali serosa evacuatione vix unquam mitigantur; *periodicæ* autem & eum *euphoria* succedentes ac continuantes *hæmorrhagiæ*, crasin sanguinis depravari haut permittunt & per



per artificiales tales excretiones facile in salutari suo successu turbantur atque subsistunt, adeoque plus damni, quam emolumenti, sic inferunt, id quod etiam evenire solet, si in *simplicibus febribus* aliisque *periodicis* affectibus, ubi longe alia, & imprimis periphericæ excretionis ordinariæ requiruntur, quacunq; de causa fonticuli excitantur.

§. XIX.

Porro dubiæ quoque efficaciae sunt artificialia ista ulcuscula in subjectis, *salutaribus* aliis *particularibus excretionibus* jam jam aduetis, aut in quibus per sudores & diarrhoeas spontaneas major plerumque heterogeneorum impuratum copia è corpore eliminatur, quasque propterea in ordinario suo successu magis adjuvare, quam tali insufficienti ratione retardare, aut turbare convenit. Eodem modo comparatum est cum fonticulis ad *Phibisin* præservandam à quibusdam eximie commendatis, quoniam gravis hicce morbus plerumque molimina & congestiones hæmoptycas pro remota sua causa agnoscit, adeoque talibus superficialibus excretionibus vix unquam præservari poterit, nisi ubi forsitan catarrhales impetuosiores defluxiones, à capite ad pulmones contingentes, metum successuræ Phthiseos incutiunt, quo in casu equidem fonticuli, juxta commendationem BENEDICTI in *tabid. theatr. cap. 29. p. 97.* non plane rejiciendi sunt, vix tamen unquam plus emolumenti, quam setacea & vesicatoria in nuca gestata, adferre possunt.

§. XX.

Proin suspectæ quoque & admodum dubiæ sunt  
fidei



fidei in *Hydrope* qualicunque, maxime in cruribus exci-  
tati fonticuli, qui ad eliminandum serum extravasatum  
& stagnans frequentissime commendantur: Tunc enim  
tonus externarum quoque partium plerumque admo-  
dum est debilitatus, adeoque exulcerationes tales, et-  
iam si superficiales saltem, facillime in gangrænam &  
sphacelum transeunt, testimonio HIPPOCRATIS, qui  
*Sect. VI. Aphor. 8.* probe jam monuit, quod quælibet in  
Hydropicis fientia ulcera difficulter sanationem admit-  
tant. Tandem etiam vix ullum unquam salutarem ef-  
fectum demonstrabunt fonticuli in *macilentis, exsiccis*  
& inprimis *senilibus*, ut ut de reliquo *cacochymicis sub-*  
*jectis*, quoniam necessarium iis deficit vehiculum, pro  
transferendis ad solas extremitates istis impuritatibus,  
insimulque transitus humorum per partes corporis po-  
rosas & musculosas, nimium jam jam exsiccatas & ab-  
sumptas, parcus admodum & debilis existit, ut ita  
vix unquam salutaris aliquis hac ratione  
obteneri queat

F I N I S





01 A 6551

ULB Halle 3  
002 937 832




f  
se

WMA











DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-  
CHIRURGICA,

DE  
VERA ET DVBIA  
FONTICVLORVM  
EFFICACIA,

QVAM,  
AMPLISSIMO MEDICORVM ORDINE IN PER-ANTIOVA  
HIERANA GRATIOSE INDVLGENTE,  
PRÆSIDE

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,  
PRÆNOBILI, CONSVLTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO VIRO,  
DN. D. HERMAN. PAVLO IVCH,

SACRI PALATHI CAESAREI COMITE, FACVLTATIS MEDICAE SENIORE, PA-  
THOL. ATQVE PRAX. PROF. PVBL. ET ASSESSORE PRIMARIO, SERENISS.  
SAX. DVC. VINARIENSIS, ISENACENSIS ET GOTHANI CONSIL.  
AVLICO ET ARCHIATRO, N. N. ACAD. CAESAR.  
NAT. CVRIOS. COLLEGA,

PATRONO AC PROMOTORE SVO COLENDISSIMO,

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI PRIVILEGIIS  
ATQVE IMMVNITATIBVS  
RITE ET SOLEMNITER ADIPISCENDIS,  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET  
AVCTOR ET RESPONDENS,

ERNESTVS RISCHMÜLLERVS,  
*Thedinghusa-Brunsvicensis.*

DIE IV. JVNII M DCC XXXVI.  
IN AVDITORIO MAJORI COLLEGII MAJORIS, HORIS CONSVETIS.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.